QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS IV. MARTII
M. ROBERTO TVLOVE S. R. Doctore Medico, Moderatore.

775

An Aſthmati Iuſcula Caulium Rubrorum?



CALOR animalium natiuus (ab inſito plantarum diſtinctus) in corde regnans, ad ſui conſeruationem inſpiratione & expiratione, actionibus merè animalibus, ſine quibus vita ne momento conſiſtere poteſt, continuò indiget. Vt cibus in ventriculo, ſic attractus inſpiratione aër in pulmonibus concoquitur, ibique excrementa ſua deponens, ni per diaphoreſim in halitus ſoluantur, aut per tuſſim reiiciantur; pulmonum bronchiis firmiter adhæreſcunt, & noua prole ſingulis diebus aucta ſpiritus vias intercipiunt, tandemque aſthma producunt: ſanguis etiam ipſe pulmonum nutritioni deſtinatus, ni purus & omnibus ſordibus repurgatus, non parùm ad eius generationem confert. Cerebrum frigidum humidum, pituitoſis excrementis plus æquo grauatum, in partes inferiores & debiliores ſeſe exonerat, ſi ventriculum inundent ἀπεψίας, lienterias (quibus ſuperuenire ructum acidum bonum eſt) pariunt, ſi aſperam arteriam raucedines, in ſenibus nullâ arte curabiles, ſi pulmonis ſubſtantiam, peripneumonias, pleuritidis nequaquã æmulas, ſi eiuſdem bronchia, diſpnœas, aſthmata, orthopnœas.



EST aſthma denſa & difficilis ſine febre ſpiratio; his ſe prodit ſignis: frequenti diſtillatione, nocturnis & periodicis exacerbationibus, ſenſu grauitatis ad pectus & ſpinam propagato, immoderata ſiti (quam fruſtrà frigidâ oppugnare tentabis) tuſſi arida & ſicca, alto & ſuſpirioſo anhelitu, pulſus inæqualitate maxima (certiſſimum crudi tuberculi ſignum) ſtrepitu, ſtertore & ſibilo, quibus vt plurimum mors breui ſuccedit. Is affectus acutus, plus habet periculi quàm doloris; hunc adoleſcentia quamuis morborum omnium feraciſſima, rariùs; funeſtiùs tamen experitur: mulieribus, pueris & ſenibus (quos ſemper in tumulum præcipitat) familiaris eſt. Huic ſi ſuperueniat febris, & in pueris ſpinæ κύφωσις res ægri conclamatæ ſunt. Non priùs hunc affectum ægrè curabilem ſolues, quàm humorem ſuperfluum exſiccaueris, craſſum & viſcidum deterſeris, incideris & attenuaueris.



IN hoc vt & alio quouis contra naturam affectu exquiſitam victus rationem diligenter obſerua; admiſſo aëre moderatè calido, ſicco & ſereno, frigidi, turbidi, nebuloſi vitetur exitioſus impetus; imperetur frugalis vita, an omnimoda cibi ſolidi abſtinentia? Quid-ni. Liberalior potus craſſos & viſcidos humores commodè humectabit. Vinum nulli ætati niſi puerili inimicum, nulli temperamento, nequidem bilioſo; ſi febribus quibuſdam tanquam fatalis hoſtis aduerſetur, aſthmati & ijs quibus craſſus humor per vniuerſum corpus redundat, tutiſſimum eſt remedium. Vitatis potentioribus quæ caput tentant, & repleent, ea vſurpabis, quæ benigno calore & ſubſtantiæ tenuitate facilè penetrant & incidunt. Declinentur motus vehementiores, procul valeant animi perturbationes quæ aucto calore maiorem reſpirandi neceſſitatem inducunt.



QVONIAM hic affectus per periodos recurrit, caue ne eandem curandi rationem perpetuò tentes, in exacerbationibus nullus locus eſto catharticis. Celebretur ad reuulſionem è cubito phlebotomia, ſuppreſſis menſibus aut hæmorrhoidibus è poplite, cucurbitulæ lumbis & omoplatis affigantur; acrioribus enematis ſed auarâ manu ſæpiùs aluum ſollicitabis: ſedato paroxyſmo, non priùs, errhinis ex braſſicæ rubræ ſucco mali fonte exhauries, p[...]roticis, ſacculis ſiccis capiti impoſitis. Impactum in pulmonibus humorem viſcoſum, rubrorum caulium iuſculo incides, attenuabis, dehinc eodem per aluum deduces. Acriora fuge medicamenta arteriaca dicta: hæc enim tenui & aquoſa parte euaporata craſſiorem in grandinoſam molem indurant. Vt alimenta totâ ſubſtantiæ familiaritate naturæ noſtræ amica ſunt, ſic medicamenta ad venenorum naturam fermè accedentia, eandem & alterant & deſtruunt. Fœlix qui eorum vires non cogitur experiri, quique conuenienti victus ratione morborum impetus ferociſſimos eludit.



NATVRA tamen iucundiſſima & tutiſſima morborum ſolatia nobis vbiq; expoſuit, benigna nempe medicamenta, quæ alimentorum præſtantiſſimas vires æmulantia, nunc manifeſtis, nunc occultis qualitatibus tutò, citò, & iucundè, morbis etiam peruicacioribus ſine vllo partium principũ diſpendio opitulantur. Eiuſmodi eſt braſſica quæ & in ſanorum voluptatem & ægrorum remediũ tranſit. Quis inſignes caulium non mirabitur vires, eorum folia capiti circumpoſita impendentem ebrietatem arcent, factam perſanant: expreſſus eorum ſuccus vino medicatus viperarum morſibus ſuccurrit; cum aceto & fœnigręci farina, articulorum doloribus; crudus & per ſe ſumptus vitiatam raucedine vocem in priorem ſtatum reducit, vlcera maligna, induratos tumores diſcutit, & cum temperamentum ſortiti fuerint caules rubri, in tenui materia moderatè calidum & ſiccum; viſcoſos humores pulmonum bronchiis contentos, ſine inſigni acrimonia exſiccant, incidunt, detergunt, attenuant; attenuatos per aluum excernunt, & ſpiritus vias obſtructione liberant; tandemque fugato hoſte ſpirandi facilitatem reſtituunt.

Ergo Aſthmati Iuſcula Caulium Rubrorum. 221

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS GERMAIN Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. XXXII.